



Ioannes eruditione & pietate adeò apud Sueo-
nes claruit, ut sub rege optimo Canuto primus
Vpsalensis Archiepiscopus constitueretur. In eo
loco omnia mira industria disposuit, atque Euan-
gelium Christi suis ouibus ardenti studio prædi-
cauit. Itaq; eius episcopatus quãuis annorũ nu-
mero angustus existat, tamẽ ingenti eius gloria me-
moriã sortitus est laudabilem & sempiternã. Quar-
to enim sui officij anno ab Estonibus, qui piraticã
usq; ad interiora Suetiæ exercebant, in proprijs e-
dibus Almerstech circa principium mensis Iulij,
anno à nato Christo millesimo centesimo octua-
gesimo octauo, trucidatus occubuit. Eius corpus

magna totius populi lamentatione honorificè in ecclesia Vpsalense sepultum
fuit. Huius successor Petrus totius Suetici regni populum, ad ciuiles mores
& Christianam pietatem toto corde amplexandam induxit. Ioan. Mag. lib.